


Thomas Lindemann

**Programma Quo ad Iusta Exequialia Viro ... Joanni Tarnovio, Theologiae Doctori & Professori ... huius Academiae ... [nunc quidem extincto, attamen post mortem lucenti Lumini, summo iure debita, a vidua et orphanis maestissimis expetita et adornata, publico et solemni luctu exsolvenda, Omnes omnium ordinum Cives Academici observanter et officiose invitantur]**

[Rostochii: Pedanus], [1629]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776808346>

Druck Freier  Zugang



**Lindemann, T.**  
**in J. Tarnov**  
**Rostock 1679.**







PROGRAMMA  
quo  
ad  
Iusta Exequialia,

REVERENDISSIMO,

JOANNI  
TANOVIO,


Theologiæ Doctori & Professori exi-  
mio, præclaro hujus Academiæ, nunc quidem extincto,  
attamen post mortem lucenti Lumini, summo jure debita,  
vidua & orphanis mœstissimis expetita & adornata,  
publico & se

Omnes omni-  
mici obse

THOM



R  
Literis Joachin  
ANN C





RECTOR  
 Academiæ Rostochiensis  
**THOMAS LINDEMAN,**  
 Juris Doct. & Professor.



*Arquinio Vultures Aquilarum fœtus dilaniantes regni amissionem portenderunt. Aquilas enim advolantes uti victoriam, ita se ab exercitu avertentes cladem, fugam & interitum præsigisse cum Romanorum tum Græcorum monumenta passim testantur. Locris pugnantibus aquila ante victoriam partem ab exercitu non recessit. Just. lib. 20. cap. 3. Caius Hostilius Mancinus bellum initurus sacrificans auguria consulens aquilas è caevis dimissas avolare nec redire cernens sibi ipsi Deorum iram esse ominatus. Eadem prodigia inauspicata Pompeio Pharsalicam & Marco Crasso Parthicam cladem, teste Floro & Valerio, denunciarunt. Aquilis sacra pagina verbi Dei ministros, Ecclesiæ fidos & vigilantes Pastores comparat: Aquilam talem Eliscus in persona Eliæ in cælum elati & velut avolantis representat, dum exclamat; Currus & Equites Israel: Et certè omnium temporum historiæ, imo & Prophetarum vaticinia evincunt, Aquilis his e advolantibus & militentem Ecclesiam comitantibus eandem portis inferorum*



prævaluisse: aquilis vero aversis & in caveas à summo Imperatore avocatis vel à vulturibus fugatis subita viperarum, locustarum & ranarum apocalypticarum & luporum rapacium direptionibus expositam, miserrime laceratam, pressam & tantum non penitus pessundatam fuisse. Experta id est Asia, quæ Hipponensi Episcopo mortuo Arianismo seu lue quadam Epidemica infecta & funestata est. Jehova ipse populum suum puniturus Esaiâ vaticinante organa sua colligit & malis, nemine non vidente, nec tamen advertente, subducit in pacis tentoria recedere & suaviter quiescere jubet, populo vero suo obstinato & caelestem manum fastidienti famem & sitim non aquæ & panis, sed verbi divini animam refocillantem minatur. Funera certe virorum bene de Ecclesia meritorum certissima ingruentis calamitatis & persecutionis indicia & præsagia esse constat: Cujus rei documentum vivum & memorabile, ac luctuosum & ominosum valde hodierna lux nobis exhibet; Una ex Aquilis Ecclesiasticis castra relinquens Academica auspiciis novi anni, quod felix omnibus & singulis vovemus, Ecce maroris publici nube obfuscat & augurio sinistro funestat: Vulnera hæctenus complura morte Theologorum insignium, Chytræi, Backmeisteri, Schachtij, Lobechij, Affelmanni, Groshenningij, & aliorum Luminum Academiae inflicta non dum consolidata sunt, sed partim adhuc hiant; hodie verò acerbè recrudescunt. Prisca Rosæi nostri fragrantia & celebritas opera & indefesso studio virorum reverendorum & clarissimorum PAULI ET JOANNIS TARNOVIORUM, aliquot annis reviguit & omnes Germaniæ Academiæ penetravit, & exinde complures studiosos, docto & divino eloquio veluti, favis dulcissimis apiculas melliferum odorem sequentes, in Borealem hanc særeptam pertraxit & pellexit, dignus uterq; Nestorea vivacitate & Aquila senecta: & certe JOANNES  
vegeto

vegeto corpore & animi dotibus ut excelebat, ita firmis vide-  
batur consistere poplitibus, quin & opera præclara complura  
nobis pollicebatur, sed eheu invida Parca præmatura sicelice  
ipsum virilis ætatis florem incidit. Funus ceterè hoc lessum so-  
lemnem, imo parentale sacrum meretur, quod cum char-  
itæ angustia excludat, succinctam vitæ fragilis telam texuisse,  
& huic programmi inseruisse sufficiat. Natus fuit JOAN-  
NES TARNOVIUS Grevismolæ Anno 1586. 19. April.  
Pater fuit HERMANNUS TARNOVIUS, pastor Ec-  
clesiæ ibidem, mater MARGARETA Bremers, Hambur-  
go oriunda: à pueritia institutus in pietate & literis primum in  
patriæ ludo literario, cum ab aliis, tum à TILEMANNO  
EILER, ludimagistro non incelebri. Anno 1599. Lubecam mis-  
sus in disciplinam D. OTTHONIS GUALTHERII &  
Collegarum, præcipuè popularis & civis sui M. JOAHIMI  
DRENCKHANII, tum Subconrectoris ibidem, post Re-  
ctoris Scholæ Stralsundensis. Anno 1603. Hamburgum perrexit  
ad Avunculum suum JOANNEM BREMERUM, ci-  
vem ibidem spectatissimum: à quo M. PAULI SPERLIN-  
GII, ejusq; Collaboratorum institutioni traditus fuit. Anno  
1604. huc profectus est, usus privatim domesticà consuetudine  
& informatione assidua patris D. PAULI TARNOVII  
Professoris primarij, cui & publicè operam dedit, non interru-  
ptam, uti & aliis Professoribus cum Philosophiæ tum Theo-  
logiæ. Anno 1613. Argentoratum accessit invitatus à JOACHI-  
MO CLUTENIO Parchimensi, Juris Antecessore celeberrimo,  
cum quo ibidem aliquandiu & postea Basileæ, tres menses  
habuit, fruens conversatione quotidiana DN. JOANNIS  
BUXTORFII, ut in iis, quæ de linguis orientalibus & de  
Rabbiniismo hic didicerat, partim confirmaretur, partim pro-  
grederetur. In ista peregrinatione vidit superioris Germaniæ

Academias præcipuas, Heidelbergensem, Argentinensem, Fri-  
burgensem, Basileensem, Tubingensem, Giessensem, Marpur-  
gensem, Erfordiensem, Jenensem, Lipsensem, Wittbergensem,  
& in eis viros celeberrimos. Anno 1614, Professor Theolo-  
giæ constitutus est ab Illustrissimo & Celsissimo Principe ac Do-  
mino, Domino ADOLPHO FRIDERICO; Eodem anno  
Argentine summum in Philosophia gradum cõsecutus est. La-  
bores ejus in hoc officio fuerunt prælectiones in Josuam, psalmos  
complures, Jeremie threnos, Prophetas omnes minores, & illu-  
striora quædam scripturæ dicta: item disputationes publicæ ac  
privatæ, quarum specimina quædam recollecta & in exercita-  
tionum Theologicarum libris anno ab hinc altero tertium edi-  
tis leguntur, cum auctario miscellaneorum & dissertationum:  
informationes ministerij candidatorum in concionum habenda-  
rum exercitio, quarum formulas præscripsit, & ad præscri-  
ptum se in privato collegio exercentes audivit atq; erudit: De-  
niq; in lingua Hebræa discenda, cujus præcepta Grammatica  
aliquoties explicavit, usumq; in textibus biblicis resolvendis  
monstravit. Gradum in Theologia summum consecutus est An-  
no 1619. 15. April. quo die etiam priores nuptias celebravit cum  
DOROTHEA Rütters filia JOACHIMI Rütters & TIL-  
SEN NETTELBLADES, ex qua duas puellas MAR-  
GARETAM ET DOROTHEAM suscepit: ea  
mortua Anno 1623. 7. April. sequenti anno posteriores cum  
ELISABETHA KNORKEN, M. GEORGI KNOR-  
KENII ET CATHARINÆ KRULLIÆ, filia, 15. Ju-  
nij, ex qua totidem liberos, unum filium, Joannem, alteram  
filiam Catharinam reliquit. Vita & mores pietati honesta-  
tiq; conformes fuerunt. Morbus, quo superatus decessit, fuit fe-  
bris continua; quæ cum cibi sumendi & somni capiendi facul-  
tate ab ipso invasionis initio privavit, nec remisit, donec vi-  
vendæ

vendi in his terris finem afferret, quod factum est die 22. Jan-  
narij intra 9. & 10. vespertinam, quando, mane pastus & recrea-  
tus corpore & sanguine Redemptoris nostri, Deum in statione  
sua advocantem prompto & lubenti animo ac voluntate secutus  
est, commendatis eidem liberis, vidua, cognatis & agnatis mor-  
rentibus. Merito equidem lubentia pia Dominum vocantem  
secutus; Quippe qui in tutum conclave se deductum & imminen-  
tibus calamitatibus subductum iri scivit & credidit; quin &  
vaticinatio quasi spiritu edoctus hoc seculum illud esse dicere sole-  
bat, de quo divus Paulus scribit, omnem creaturam ingemiscere  
& quasi universalem clamorem parturire. Nos certe, qui super-  
stitibus lacrymarum hancce vallem grassamur, quocumq; oculos  
animumq; convertimus, nil nisi ejulatus, anxietates, pavores  
experimur & continuis cruciatibus lenta quasi tabe absumimur  
& perpetim agonizantes emorimur. Unde mortem, qua naturæ  
per se contraria est, quoridie experi & Polycarpi illud, O Deus  
in qua nos tempora reservasti; ingeminari audimus: Ast  
contra si pie defuncto humana nunc voce loqui liceret, eum que-  
relam hanc in Eucharisticum præana, O Deus, quibus me ma-  
lis eripuisti; mutantem audires. Simonidem felicissimum Va-  
lerius Maximus hoc nomine deprædicat, quod is apud Scopam  
cænanans ignota duorum juvenum voce accersitus subito prodians  
& triclinium statim collabi & sodales opprimi cernens salvus  
solus evasisset. Marge, rus noster longè felicior Simonide, semel  
quidem elapso, ast aliis periculis obnoxio, merito reputatur,  
utpote qui non voce ignota, sed divina bene cognita ex ruinosæ  
hæcce mundi superficie in palatium quietis & gaudij deductus,  
nobis quidem præmaturius ereptus, ast sibi sat diu vixit. Qui  
enim per virtutum exercitia vitam hanc decurrerunt, quiq;  
integra fama, salva dignitate, incolumibus propinquis & affi-  
nibus fati concesserunt, quamvis medio in spacio integræ æta-  
tis erepti, tamen quantum ad gloriam diutissime vixisse intel-  
liguntur:

liguntur. Non est, quare quenuquam propter canos aut rugas  
putemus diu vixisse: non ille diu vixit, sed diu fuit, ut vere Se-  
neca ait, quod de Collega nostro recte dici potest, utpote qui ea-  
stirpo erat genitus, ut multam prius, quam longam sibi vitam  
optarit, quiq; in hac vita multos ad salutem erudit & ob id in  
altera vita lucidissimæ stellæ adinstar coruscat & eternum  
tripudiat.

Romani bene de Repub. meritis honorabiles, quas in-  
dicitivas vocabant, exequias destinabant & præconia voce  
per plateas cives conuocabant: Ad Scipione Emiliano inopi-  
nata morte extincto non vulgaris præco in publicum prodiit,  
sed Q. Metellus Macedonicus publicum lessum hisce verbis pub-  
licavit: **Concurrite, concurrite Cives: mænia urbis con-**  
**ciderunt.** Certè Ecclesiæ Doctores & præsules vera sunt vere  
religionis mænia & munimenta, quorum pietate, eruditione &  
studio, validissimis veluti divinitus concessis catapultis, bal-  
listis, & arietibus imbelles ac debiles piorum agmen adversus lu-  
pos rapaces defenditur: quibus subtractis merito hanc voem  
exsequialem & lugubrem usurpare licet: **Concurrite, Con-**  
**currite Cives, Ecclesiæ columnæ conciderunt:** Talem  
fortunam cum hoc tempore Academia hæc hodie subeat, me-  
ritò voce hac tristi vos nunc convoco. Adeste itaq; frequentes  
hodie in templo Jacobæo media prima, quicumq; Ecclesiæ misera-  
bilem statum pio & pœnitenti corde perpenditis: **Vulnus hoc do-**  
**lere, plangite, justa debita præclaro ante tempus extincto, ad**  
**æternum lucenti, lumini solvite, pœnas Aquilæ hujus avola-**  
**tu præsagitas & jamjam cervicibus nostris imminentes averte-**  
**re, iram Jehovæ precum thure & pœnitentiæ sacrificio placare**  
**laborate, eiq; conatus Caduceatorum in vicinia pro pace Germa-**  
**niæ recuperanda laborantium Deo supplicibus uotis commen-**  
**dare, quibus Jehova clementer annuat & tandem optatam pa-**  
**cem reducat. P. P. in Academia, Rostochij, c. I. I. CXXXIX,**  
**XXV. Januarij.**













vendi in his terris finem afferret, quod factu  
 rij intra 9. & 10. vespertinam, quando, ma  
 rus corpore & sanguine Redemptoris nostri  
 sua avocantem prompto & lubenti animo a  
 est, commendatis eidem liberis, vidua, cogn  
 rentibus. Merito equidem lubentia pia  
 secutus; Quippe qui in tutum conclave se dea  
 ribus calamitatibus subductum iri scivit &  
 vaticidico quasi spiritu edoctus hoc seculum i  
 bat, de quo divus Paulus scribit, omnem crea  
 & quasi universalem dicitur parturire. N  
 stites lachrymarum hancce vallem grassam  
 animumq; convertimus, nil nisi ejulatus, a  
 experimur & continuis cruciatibus lenta que  
 & perpetim agonizantes emorimur. Unde m  
 per se contraria est, quotidie experi & Polye  
 in qua nos tempora reservasti! ingemina  
 contra si pie defuncto humana nunc voce loq  
 relam hanc in Eucharisticum pœana, ô Deu  
 lis eripuisti! mutantem audires. Simonides  
 lerius Maximus hoc nomine deprædicat, qu  
 canans ignota duorum juvenum voce accers  
 & triclinium statim collabi & sodales oppr  
 solus evasisset. Mangeris nosler longè felici  
 quidem elapso, ast aliis periculis obnoxio,  
 utpote qui non voce ignota, sed divina bene  
 hacce mundi superficie in palatium quietis  
 nobis quidem præmaturus ereptus, ast sibi  
 enim per virtutum exercitia vitam hanc  
 integra fama, salva dignitate, incolumibus  
 nibus fatis concesserunt, quamvis medio in  
 erepti, tamen quantum ad gloriam diu



anna  
 ecrea-  
 atione  
 cutus  
 s ma-  
 intem  
 inen-  
 uin &  
 e sole-  
 scere  
 ſuper-  
 oculos  
 vores  
 imur  
 atura  
 Deus  
 Ast  
 que-  
 ma-  
 n Va-  
 opam  
 diens  
 alvus  
 semel  
 atur,  
 unosa  
 uctus,  
 Qui  
 quiq;  
 affi-  
 e ata-  
 intel-  
 untur: